

**Programma, Qvo Rector Vniversitatis Rostochiensis, Ioach. Henr. Sibrand, V. I. D. Et Moral. Prof. Pvbl. ... Ad Exeqvias, Qvas Matri ... Matronae ... Catharinae, Bergholziae, Viri ... Dn. Bernhardi Elfers, Senatoris Qvondam Reipvbl. Rostochiensis Longe Meritissimi Relictae Vidvae, Filivs Ipsivs Vnicvs ... Adornabit Omnes Omnivm Ordinvm ... Invitat : [P.P. Sub sigillo Rectoratus d. 18. Martii, anno cl lccxii.]**

Rostochii: Wepplingius, [1712]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn743864565>

Druck Freier  Zugang




Sibrand, J. H.,  
in C. Bergholz,  
uxor. B. Eifers.

Rost. 1712.







89.  
PROGRAMMA,

QVO

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,

IOACH. HENR. Sibrand/

V. I. D. ET MORAL. PROF. PVBL. ORDINAR. FA-  
CVLTATIS SVAE h. t. DECANVS,  
AD EXEQVIAS,

QVAS

MATRI SVAE HONORATISSIMAE DILECTISSIMAEq, MATRO-  
NAE NOBILISSIMAE, OMNIBVS QVAE SEXVM FEMINI-  
NVM COMMENDANT VIRTVTIBVS INSTRV-  
CTISSIMAE, ORNATISSIMAEq,

CATHARINAE  
BERGHOLZIAE,

VIRI NOBILISSIMI, PRÆDENTISSIMI, AMPLISSIMIq,

DN. BERNHARDI Sifers/

SENATORIS QVONDAM REIPVBL. ROSTOCHI-  
ENSIS LONGE MERITISSIMI


RELICTAE VIDVAE,

FILIVS IPSIVS VNICVS, MOESTISSIMVS,

DECENTER, AC SOLENNITER ADORNABIT

OMNES OMNIVM ORDINVM, AC DIGNITATVM CI-  
VES ACADEMICOS, QVAM HVMANISSIME AC  
SEDVLO INVITAT.

Roſtoch̄, Typis Joh. WEPPLINGI, SER. PRINC. ET ACAD. Typogr.





## Tatus hominum

varios esse, & diuersi plane generis, notissimum est, nec in dubium vocari poterit: Quisnam autem inter hos alteri præferendus, si quando inquisuerimus, tot sensus deprehendemus, quot capita,

Quilibet mortalium, sibi ipsi relictus, statum illum, ad quem per inclinationem naturalem fertur, quemque sponte elegit, pro optimo reputat: nec tamen is ita ipsi est optimus, quo minus adhuc meliorem exoptet, ac meliorem dari, sibi persuadeat. Si quæras, vnde hoc? Responderem, quia quilibet status, sua habet comoda, sua incommoda: in quolibet statu quædam sunt grata, & accepta, quædam molesta,

A 2

& in-



& ingrata: nihil est ex omni parte perfectum, nihil ex omni parte, in hoc rerum statu, beatum. Hæret ergo in dubio mens humana, quid appetendum, quid fugiendum. Imo quod magis, aliquando illa, quæ vno tempore appetiit homo, alio tempore auersatur, & quæ quondam auersatus, nunc appetit, cum in nullo statu illa deprehendat, quæ omnino tranquillum, pacatum, & quietum ipsius animum reddere possunt. Manet ergo, & manebit, quamdiu naturalis est hominum ad dissentiendum facilitas, lis illa circa diuersos hominum status, cui prærogatiua debeat. Nec mirum, cum circa eiusdem hominis statum determinari nequeat, quis melior, quis præstantior. Haud nimis euagabor: Sed sexus saltem feminini triplicem adducam statum. qui in vno eodemque concurrere potest subiecto, *virginitatis* scilicet, *matrimonii*, & *viduitatis*: quorum primum, certo respectu, quis dicere posset statum *libertatis*, alterum *ciuitatis*, ratione subiectionis, quatenus vxor marito, eiusque imperio subiecta, tertium *familia*, cui tunc præest Vidua, defuncto marito. Quanta iam hic lis, an virginitas præferenda matrimonio? Cuius affirmatiuam potissimum defendunt Papicolæ, virginitatis maiorem esse castitatem, ac sanctitatem quam matrimonii, pro ratione status monachalis asserentes, sed absque omni fundamento

mento: quantæ discussionis, & prolixitatis futurum problema, an præferendus status coniugalis viduitati, an vero viduitatis status præstet coniugali? Meum haud est, hac vice, in argumenta inquirere, eaque cumulare, quæ ab vtraque parte adduci possent quam plurima: multo minus memet Iudicem huius litis, instar nodi Gordii inextricabilis, constituam. Sed illud assero, vero Christiano, quemlibet statum, qui non repugnat voluntati diuinæ, & in quo a Summo Numine constituitur, eousque optimum esse, in eoque forte sua apprime contentum viuere, donec visum, illi fuerit, in alium rursus eundem coniecere, statum. Hoc adstruo, omnem sexus feminini statum, siue Virginitatis fuerit, siue Coniugalis, siue Viduitatis, ita comparatum esse, vt in eo & DEO, & hominibus placere possit femina Christiana. *Virginitatis* statum Altissimo acceptum esse, docet summus Gentium Doctor, 1. *Cor. VII. 34.* Mulier, inquit, innupta, & virgo, cogitat quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu. In statu *Coniugali*, vxores quoque pias ac iustas dari, in conspectu diuino, & coram DEO ambulantes, ac incedentes in omnibus mandatis, & iustificatiombus Domini inculpatas, *apertissimè* testatur, vt vnicum saltem adducam, exemplum Elisabethæ, Coniugis Zachariæ Sacerdotis, *Luc. 1. 6.* *Viduitatis* tandem statum, quam maxime aptum

ad inferuendum summo Numini, loquitur exemplum Hannæ Prophetissæ, Viduæ vsque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus inferuens, nocte, ac die, *Luc. II. 37.* quod ipsum in genere quoque ab illis, quæ veræ sunt Viduæ, exigit Apostolus *1. Tim. V. 5.* vt sperent in DEVM, & instant obsecrationibus, & orationibus nocte & die. In quem finem hæc, quæ hactenus præfatus, adduxerim, facile patebit, funus intuenti, quod hodie paratur Matronæ nobilissimæ, omnibus, quæ sexum femininum commendant, virtutibus instructissimæ, ornatissimæque, CATHARINAE BERGHOLTZIAE, Viduæ Viri nobilissimi, prudentissimi, amplissimique DNI. BERNHARDI ELFERS, Senatoris quondam Reipubl. Rostochiensis, & de omnibus ac variis, quæ laudabiliter, dexterrimeque sustinuit officiis, dum piæ stipis erogatoris, Prætoris, Præsidis Gewettæ, Camerarii, ac Inspectoris Pharmacopolii munere functus, quam optime meriti, in qua, dum vixit, triplex ille, de quo hactenus locutus sum, concurrat status, dum per nouendecim annos virgo, quadraginta annis vxor, & vndecim annis Vidua fuit. Illa dubio procul experientia edocta, definire potuisset, cuius status maiora, cuius minora incommoda, vel commoda: nisi forte loco sententiæ definitiuæ adductura verba Pauli Theologi, *Rom. VIII. 28.* quod diligentibus DEVM, omnia coope-

perentur in bonum. Ita enim eandem sen-  
fisse, Christiana Charitas sperare iubet, quatenus  
in tanto annorum cumulo, non potuit non edo-  
ceri, directiones diuinas semper optimum in-  
tendere, ac in voluntate ipsius vnice acquie-  
scendum, quomocunque ducat, abducatur, re-  
ducatur. Quænam autem Matronæ huius lau-  
datissimæ, fuerint fata, quantis cumulata benefi-  
ciis diuinis, quam præclara ipsius progenies, ex  
vitæ ipsius curriculo omnium optime colligere  
poterimus. Et quidem lucem primum adspe-  
xit pie defuncta nostra, d. 7. Januar. anni 1643.  
circa mediam noctem, inter horam duodecimam,  
& primam, in celebri fatis, & quæ inter pri-  
marias merito referenda Megapoleos nostræ, vr-  
be Gustrouio, ex honestissimis longe, vitæque  
probitate conspicuis parentibus. *Pater* enim  
ipsum fuit Vir præstantissimus, & artificiosissi-  
mus DN. SAMVEL BERGHOLTZ, cele-  
berrimus Gustrouii Gemmarius, in Aula quoque  
Serenissimi Celsissimique Ducis versans, *Ma-*  
*træm* habuit feminam nobilissimam, & virtuosissi-  
simam ILSABE SCHMIDES. *Auus* ipsius  
*Pater* fuit vir præclarissimus, & ingeniosissi-  
mus DN. NICOLAUS BERGHOLTZ, cele-  
bratissimus pariter Serenissimi Ducis Regentis Gu-  
strouiensis Gemmarius. *Auiam Paternam* habuit,  
feminam nobilissimam, omnibusque virtutibus se-  
xus feminini condecoratam, ANNAM Schürten/  
ex inlyta illa, atque Nobili Schutteniorum familia  
oriun-

oriundam. *Auum Maternum* laudat Virum præstantissimum Dn. JACOBVM SCHMIDT mercatorem quondam Güstrouiensem primarium. *Auia Materna* fuit Matrona honestissima ANNA Nagelē. *Proauum Paternum* habuit Virum spectatissimum Dn. TIEDTE Bergholß Ciuem præcipuum Güstrouiensem, & mercatorem primarium. *Proauiam Paternam* agnouit feminam virtutibus quibusuis conspicuam, ILSABE Lohrwechters. *Proauus Maternus* fuit Dn. DIETERICVS Schmidt/mercator Güstrouiensis præstantissimus: *Proauia Materna* Matrona nobilissima, DOROTHEA Nagelē. Reliquos vt iam, vsitatum morem sequentes, omittamus Maiores. Ex hisce Parentibus honestate ac integritate vitæ semet maxime commendantibus, sanguinem trahens pie defuncta, ad virtutum studium per ipsos itidem incitata, & potissimum a lectissima, honoratissimaque Matre sua probe educata, ac in illis, quæ ad morum probitatem, & œconomiz curam pertinent, fidelissime instructa, annum ætatis attingens decimum nonum, amorem coniugalem experta est Viri spectatissimi integerrimique, Dni CHRISTOPHORI GERDES, Ciuis primi ordinis, & Mercatoris Rostochiensis, eique anno 1662. per benedictionem Sacerdotalem iuncta, in pacatissimo . felicissimoque coniugio cum ipso transegit quinque annorum, octo mensium, & sedecim dierum breuissimam sane vitam, prætereaque improle fuit matrimonium. Sunt hæc

hæc incommoda haud leuia pacati, faustique  
Coniugii, quod vinculum amicitiaë summaë,  
firmissimaë, atque coniunctissimaë, imo in-  
comparabilis, arctissimaëque, inter homines  
indissolubile, a Supremo omnium rerum Mo-  
deratore, præter votum & expectationem ali-  
quando citius abrumpatur, ac dissoluatur,  
Ferendum tamen patienter, & Christiane,  
quod mutari nequit: & voluntas diuina in his  
quoque casibus a feminis christianis deprædican-  
da, cum hoc in Viduas vera fide præditas re-  
dundet commodum, quod se ipsum tanquam  
maritum ac defensorem longe præstantiorem sub-  
stituat, surrogetque summus Jehouah. A-  
gnouit & hoc dubio procul pie defuncta, proinde-  
que iussui diuino, superatis quæ ab initio resi-  
stere solent animi infirmitatibus, semet subiecit,  
ac in Viduitatis statu, quamdiu hoc ita visum  
summo Numini, permansit. Ast triennio fer-  
me elapso, priorem mutandi statum optima-  
lese obtulit occasio, proindeque directioni di-  
uinæ, & in hoc mutationis genere morem gef-  
sit pie defuncta, thori iterum socium assumens  
anno 1671. d. 22. Octobr. Virum nobilissimum,  
spectatissimum, atque præstantissimum, Dn.  
IACOBVM ALEXANDRVM WOLFF-  
RATH, Ciuem ac Mercatorem apud nos pri-  
mariatum, hereditarium in Grossen Stoue: quæ  
nuptiæ secundæ reuera fuerunt secundæ, & ex  
duplici capite prioribus adhuc præferendæ, ni-  
mirum

B

mirum

mirum exinde ; quod anno statim sequente,  
1672. d. 10. August. tempore meridiano , horam  
inter duodecimam, & primam, quæ eadem  
circa noctem pie defunctæ fuerat natalis, ex hoc  
Marito suo prolem susceperit exoptatissimam,  
& filium exosculata dilectissimum, vnicum,  
ex asse heredem, adeoque eo maiori in pretio instar  
pupillæ, semper habitum, Virum nunc Ge-  
nerosum, Prænobilissimumque, Dn. DIE-  
TERICVM SAMVELEM WOLFFRATH,  
Serenissimi Ducis Mecklenburgici Regentis Con-  
siliarium Aulicum, & hereditarium in Gros-  
sen Stoue fulgidissimum, Fautorem nostrum  
atque Amicum honoratissimum, æstimatissi-  
mumque, qui summo iam cum dolore, & ex  
animo lugens, Matri suæ lectissimæ, dulcissimæ,  
que funus sibi acerbissimum parat. Secundæ  
quoque præ prioribus fuerunt pie defunctæ nu-  
ptiæ secundæ, in eo, quod vel quadruplo  
longior fuerit matrimonii huius pacatissimi ter-  
minus, viginti quatuor scilicet annorum: hi-  
sce tamen elapsis, & lectissimo Marito suo, anno  
1694. d. 14. Maii pie in Domino obdormiente, al-  
tera vice statum conjugalem cum statu viduita-  
tis, iuxta beneplacitum diuinum commutauit,  
Beata nostra. Non tamen diu in eodem per-  
stitit, dum biennio elapso virtutibus pie defun-  
ctæ, animique probitate captus Vir nobilissi-  
mus, prudentissimus, amplissimusque, Dn.  
BERNHARDVS ELFERS, Senator quondam  
Ciuis

Marit

Ciuitatis huius meritisimus, nuptias ipsius am-  
biuit, eademque anno 1696. mense Maio con-  
summavit. Et quamuis in hoc matrimonio  
benignitatem DEI singularem senserit beate  
defuncta, cum & tertia hæc vota ex voto  
cederent, haud tamen æque ac præcedens diu-  
turnum hoc & stabile fuit coniugium, dum  
& hic Maritus suauissimus, amantissimusque,  
post decem annorum, septem mensium, &  
octo dierum decursum, anno 1706. d. 22. De-  
cembr. hora nona vespertina, inopinata qui-  
dem ac celeri, beata nihilominus morte in sexa-  
gesimo tertio ætatis anno abreptus. Sunt  
sane hæc ipsæ haud leues mutationes, sed tales,  
quæ firmum requirunt animum, infractum,  
& inconcussum: Nec omnes humeri ferendò  
tanto oneri pares sunt. Est tamen hæc cle-  
mentissimi Numinis benignitas, nunquam satis  
deprædicanda, quod dum ipse onus imponit,  
vires quoque certissime concedat, largiaturque  
paterne, ad illud ferendum sufficientes. Idem  
non solum deprædicare potuit beate defuncta;  
sed & variis exhibitis beneficiis hoc addere,  
quod in senectute alias infirma, & inualida,  
animum ipsius corroborauerit, obfirmaueritque  
omnipotens, quodque ea quæ tristitia obuene-  
runt, cum gaudio sæpius, ac illis quæ ani-  
mum oblectare valuerunt, permiscuerit. Spe-  
ctat huc solamen, quod habuit in filio suo vni-  
co, obsequentissimo, dilectissimoque: Spe-  
ctat



erat huc nepotum maxime amabilis numerus:  
Corona, gaudium ac summa lætitia Senum,  
dicuntur liberi liberorum. *Proverb. VIII. 6.* Hac  
felicitate beavit largissimum Numen pie defun-  
ctæ nostræ filium vnicum, vt coronam hanc  
capiti venerando Matris suæ perdilectæ imponere  
licuerit, gaudioque hoc animum ipsius perfun-  
dere, dum vtrumque ipsius matrimonium pro-  
liferum fuit, atque fœcundum. Sic enim ex  
priori eius Coniuge suauissima, dilectissimaque,  
virgine quondam virtuosissima MARGARE-  
THA ELISABETHA STOLTEN, ex no-  
bili illâ & præclara Stolteniorum familia, hodie  
florentissima, prognata, (cuius *Pater* fuit  
Vir spectatissimus Dn. PETRVS STOLTE,  
Ciuis apud nos & Mercator primarius) cum qua  
nuptias contraxit anno 1694. non solum neptem,  
summa cum cordis lætitia, anno 1695. d. 14. Mar-  
tii videre gestiit, cui nomen CATHARINAE  
MARGARETHAE inditum, sed & maior longe,  
ac magis adhuc animum ipsius afficiens lætandi  
causa, pie defunctæ exinde enata, quod progene-  
rum quoque exoptatissimum amplecti ipsi licue-  
rit, generosum Dn. NICOLAVM a BAV-  
MAN, Stralsundensem, laudatæ iamiam ipsi-  
us nepti, Virgini omni virtutum genere ornatif-  
simæ, CATHARINAE MARGARETHAE  
publice desponsatum, futurumque hoc coniu-  
gium benedictione sua auita, ac precibus arden-  
tissimis Summo Numini commendare. Præ-  
ter

ter hanc, secundam quoque neptem WENDV.  
LAM, anno 1696. & sequente anno 1697. pri-  
mum nepotem IACOBVM DIEDERICVM:  
vt & altero abhinc anno 1699. secundum nepo-  
tem PETRVM BERNHARDVM: & anno  
1700. tertium nepotem CHRISTOPHORVM  
FRIDERICVM vidit. Prout autem haectenus  
pie defuncta varias rerum vicissitudines experta,  
ita & anno 1701. idem ipsi contigit, dum haud  
parum per obitum nurus suæ suauissimæ, ac  
filiae instar dilectissimæ contristata: quamvis  
filius ipsius vnicus, post anni spatium viduo  
lecto relicto, & anno 1702. Virginem virtuo-  
sissimam, formosissimamque ANNAM CA-  
THARINAM à BAVMAN, ex nobili & præ-  
stantissimâ Baumanniorum familia ortum du-  
centem, iugalem sibi eligens, nouo gaudio,  
nouæque lætitiæ ansam præbuerit: Auctus  
enim per hanc Coniugem suam suauissimam,  
fidissimamque, & neptum, & nepotum nume-  
rus: Dum ipsi anno 1703. MARIA GER-  
DRVT: anno 1705. CHRISTINA CHAR-  
LOTTA: anno 1706. IOHANNA DORO-  
THEA, quæ post sex septimanarum decursum  
iterum denata: anno 1707. CATHARINA  
IOHANNA: anno 1709. CHRISTIANVS DA-  
NIEL: & tandem anno 1711. ELISABETHA  
SOPHIA nata: quæ tamen nouem saltem  
mensium ætatem attingens: Auiam suam, mor-  
talitatis ordine turbato, præiuit. Vbi notatu  
dignum

dignum quod numerus annorum Viduuii beate  
defunctæ, numero nepotum ac neptum præcise  
respondeat. Judicetis iam Ciues Academici,  
anne status in quo vixit pie defuncta præ reli-  
quis sit honorabilis, ac fauorabilis. Decernit  
Ius Romanum Senectuti venerationem : ita  
enim Iustus Callistratus, *semper*, inquit, *in Cui-*  
*tate nostra Senectus venerabilis fuit*, in *L. 5. pr. ff. de*  
*Jur. immunitat.* & causas Viduarum præ aliis  
fauorabiles esse, in vulgus notum, imo Summum  
Numen magnam Viduarum curam gerere, Sa-  
cræ docent literæ : Cumque duplex vinculum  
fortius liget, quam vnum, eo magis sane nos  
quoque obstricti, vt senectutem laudabilem  
Matronæ huius, & Viduæ septuagenariæ, quam  
summa cum laude affecuta, etiam post fata  
veneremur. Intueamur ipsius exemplum,  
laudemus virtutes, gratias Summo Numini  
exsoluamus, pro obitu, ac abitu ex hac æ-  
rumnarum ac miseriarum valle placido, atque  
beato, dum animam suam, tanquam depositum  
aliquod pretiosissimum, cuius custodia in ipsam  
a summo Numine deponente translata, vero  
Domino eandem repetenti, illico, lubentissi-  
meque, prout Christianum decet, restituit :  
& quidem factum hoc die decimo mensis huius,  
hora nona matutina, præcedente aliquot septi-  
manarum morbo vehementiore : de quo re-  
ferentem audiamus Virum Prænobilissimum,  
Experientissimum, Excellentissimumque,  
Dn.

Dn. JOHANNEM ERNESTVM SCHAPERVM, Medicinæ D. & Prof. Publ. Ducal. Ordinar. celeberrimum, Facultatis suæ Seniorem, Serenissimi Ducis Regentis Mecklenburgici Consiliarium Aulicum, & Archiatrum, Dominum Fautorem, Amicum, & Collegam nostrum honoratissimum. Ad Matrona jam

Beata morbum quod attinet ea per multos annos experessâ dextri lateris Hemiplegiâ fuit Valetudinaria, suamque ergò vitam agrè agebat, usque dum die 24. Febr. a. c. dextri hypochondrii doloribus & simul colicis ac astu febrili correpta lecto affigeretur, ex eo tempore quanquam dolores à remediis exhibitis remitterent, continuato tamen clanculari febrili astui jungebatur & faciei & sui corporis totius flavus color cum virium notabili suppressione, cumque jam tum è morbo Lateris sui dextri Paralytico earum partium sufficientibus destituta viribus esset, & senili aetate eam comitante insuper eò facilius omnium virium residuum febre biliosa consumi poterat, que cum remediis & appropriatis & optimis mutari non possent, sensim & sensim non tantum in partibus hemiplegiâ & eam excipienti Paralyti olim affectis, sed in toto corpore debilior facta tandem placidè in domino obdormibat.

Præterea illum, qui fons est, & scaturigo omnis veri solaminis, veneremur, vt propter discessum hunc lugentem filium vnicum, reliquosque mœrentes, quam efficacissime consoletur. Cumque ætas veneranda, viduitatis status, familiæ splen-

splendor, humanitatisque officium hoc dicti-  
tet, ad hoc vos impellat, moueatque, vt fre-  
quenti ac copioso Comitatu hodie funus hoc  
comitemini, Vosmet officio vestro haud defu-  
turos, certissime confido, vtque id fiat,  
omni qua decet humanitate  
peto.

P. P. Sub sigillo Rectoratus d. 18.  
Martii, anno cl<sup>o</sup> 16ccxii.

Conuentus erit in Æde Mariana  
hora I. pomerid.













ter hanc, secundam quoque neptem  
LAM, anno 1696. & sequente anno  
mum nepotem IACOBVM DIEI  
vt & altero abhinc anno 1699. secun  
tem PETRVM BERNHARDVM  
1700. tertium nepotem CHRISTO  
FRIDERICVM vidit. Prout aute  
pie defuncta varias rerum vicissitudin  
ita & anno 1701. idem ipsi contigit  
parum per obitum nurus suæ suau  
filix instar dilectissimæ contristata,  
filius ipsius vnicus, post anni spa  
lecto relicto, & anno 1702. Virgin  
fissimam, formosissimamque AN  
THARINAM à BAVMAN, ex no  
stantissima Baumanniorum familia  
centem, iugalem sibi eligens, n  
nouæque lætitiæ ansam præbuerit.  
enim per hanc Coniugem suam f  
fidissimamque, & neptum, & nep  
rus: Dum ipsi anno 1703. MA  
DRVT: anno 1705. CHRISTIN  
LOTTA: anno 1706. IOHANN  
THEA, quæ post sex septimanaru  
iterum denata: anno 1707. CA  
IOHANNA: anno 1709. CHRISTIA  
NIEL: & tandem anno 1711. EL  
SOPHIA nata: quæ tamen nou  
mensium ætatem attingens: Auam  
talitatis ordine turbato, præiuit.

B 3

